



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

26 Dux Mutinae Ducatum Ferrariae occupavit, & quare?

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

294
 133, num. 7. & Mascard. *ead. conclus.* 1242, num. 86, & 87. Et tractantes, & consultants, ac suadentes pœnas constitutionis incurrunt etiam effectu non sequenti, quia hoc casu solus \dagger conatus sine effectu sufficit ad incurrendam pœnam, *l. si quis non dicam rapere, C. de Episcop. & Cleric. quæ est canonizata, & posita in cap. 7, de pœnitent. distinct. 1.* ubi plura sequuntur, *cap. 1.* & ibi gloss. 1. ubi etiam Abb. ante num. 1, *versic. nunc primò, de presump.* & Felyn. *in tract. quando conat. puniat. num. 1.* præsertim attentâ dictione, ipso facto, quæ est latæ sententiæ, *cap. felicius, §. si que verò, de pœnit. in 6.*

Gregorio XIV. vitâ functo, Innoc. IX. ad \dagger tollendum omne dubium de eorundem S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu, declaravit, eadem constitutione prohibitum fuisse, & prohiberi omnem, & quamcunque infeudationem, ac alienationem civitatum, terrarum, oppidorum, & locorum Sedi Apostolicæ, tam mediatè, quàm immediatè subjectorum, non solum ne fiat, neve attententur post eorum devolutionem, sed etiam antequam devolvantur, ac omnem, & quamcunque in perpetuum, vel ad tempus prorogationem, ac extensionem, infeudationem, investituram, & concessionem de dictis civitatibus, terris, oppidis, & locis nondum finitarum, ipsorumque incorporationem, quoad effectum impediendæ infeudationis, alienationis, prorogationis, & extensionis hujusmodi, non à die eorum devolutionis, sed à die ipsius constitutionis, etiam antequam illa devolvatur, ipso jure cum omnibus clausulis, & decretis in prædicta constitutione contentis, Cæmeræ, &

Sedi Apostolicæ factam censeri, adjecto etiam decreto, & declaratione, ut promissio, & juramentum præstitum, & præstandum de servanda eadem Pii prædecessoris prædicti constitutione, per ipsum Inn. & successores suos Rom. Pont. ac prædictos S. R. E. Cardinales intelligatur de ipsa Pii V. constitutione per eum, ut supra, declarata, & secundum hujusmodi declarationem eandem constitutionem ad unguem, & inviolabiliter observari oportere, ac debere, sicut se servaturum esse promisit, ac sanctæ, & solemnini more juravit, prout in eisdem Innoc. sub dat. pridie non Novembris expeditis literis continetur. Quas eodem Innoc. vitâ functo, Clemens VIII. in omnibus comprobavit, confirmavit, & innovavit, easque firmiter, & inviolatè, ac juxta declarationem prædictam se firmiter servaturum promisit, & juravit, atque per eos, ad quos spectat, pariter perpetuè observari præcepit, & mandavit, ut in suis sub dat. Romæ anno Incarnationis Dom. 1592. 16. Kal. Martii, Pontificatus sui anno primo literis desuper expeditis.

26 Alphonso duce mortuo, \dagger Cæsar Estensis Dux Mutinæ proximior Alphonso genatus, civitatem, Ducatum que Ferrariæ, & alias civitates, terras, castra, & loca ejusdem ducatus cum omnibus eorundem territoriiis, jurisdictionibus, fortalitiis, membris, pertinentiis, & juribus prædictis statim occupavit possessione apprehendendo, militibus, & aliis necessariis muniendo. 27 Papa verò, qui Christi nomine \dagger ministrat, ut declaratur verbis Apostoli dicentis, *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei.*